RITUS
SEU
CÆREMONIÆ
DE
PASSIONE DOMINICÆ PALMARUM,
ATQUE
RELIQUIS PASSIONIBUS CANTANDIS.

Secundùm Cæremoniale Romanum pro diverſitate majoris, minorſve Congregationis perſonarum, loci, ac temporis obſervandæ omnibus Eccleſiis, tam majoribus, id eſt, Cathedralibus & Collegiatis, quàm minoribus, ſive Ruralibus inſervientes.

IN ECCLESIIS CATHEDRALIBUS.

MISSAM ipſam celebrabit is, qui Ramos benedixit, niſi cauſa aliter fieri poſtulet; Rami Celebrantis, & Miniſtrorum deferentur ad Credentiam à Sacriſta, vel Cæremoniario.

Circa initium Tractûs, qui ex integro ſemper cantatur, tres Paſſionem cantaturi (qui ſint in ordine ſaltem Diaconali conſtituti) pergunt ad Sacriſtiam; ubi parantur, Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Diaconali ab humero ſiniſtro pendente & ſub brachio dextro colligatâ Stola, coloris violacei; & ſub finem Tractûs hoc ordine procedunt ad Altare. Præcedit Cæremoniarius, tum ille qui agit Evangeliſtam: hunc ſequitur, qui Turbarum perſonam agit; ultimus, qui refert perſonam Chriſti: omnésque incedunt nudo capite, libros Paſſionum portantes ante pectus; tum factis Altari & Abbati (aut Epiſcopo in Eccl. Cathedr.) debitis reverentiis, accedunt ipſi tres Cantores ad oſculum manûs Abbatis (aut Epiſcopi) ſi adſit, & ſe ſolito more præſentet; aliàs Celebranti, præſcripto ordine, nullam tamen petentes benedictionem. Deinde deſcendunt ad locum Evangelii, ubi palmas à Cæremoniario acceptas manibus tenentes, cantabunt Paſſionem, ſuper tribus Analogiis ſeu pulpitis, ex tribus libris ſuper eis impoſitis, illo, qui perſonam Chriſti gerit, medium locum inter Evangeliſtam à dextris, & alterum à ſiniſtris occupante.

Finito itaque Tractu in Choro, qui refert Evangeliſtam, incipit Paſſionem, quam alii duo proſequuntur, cùm ad eos ſpectat, quod ex characteribus advertent; ubi ſcilicet notandum eſt, quòd litteræ majuſculæ **E.** *Evangeliſtæ.* **T.** *Turbarum.* **C.** *Chriſti perſonas ſignificent. Per id verò temporis Ceroferarii hinc inde â lateribus Credentiæ ſtabunt verſis faciebus ad Cantores Paſſionis, ità ut qui ſtat à dextris, dextrâ: qui à ſiniſtris, ſiniſtrâ teneat Ramum, altera manu pectori admota. Cæteri omnes in Choro, dum cantatur Paſſio & Evangelium, tenebunt Ramos dextrâ, nulli verò ſiniſtrâ.*

Cùm Paſſio inchoatur, Celebrans, ſiniſtrâ tenens Ramum (quem porrexit Diaconus cum oſculis) dextrâ ſuper librum poſitâ, eandem legit (ſtans in cornu Epiſtolæ aliquantulum converſus ad Cantores) habens Diaconum à dextris, & Subdiaconum etiam à dextris Diaconi, ut in Introitu Miſſæ, tenentes Ramos dextrâ, usque ad particulam illam excluſivè, quæ cantatur in tono Evangelii; nec in morte Chriſti genuflectent, niſi pòſt cum Cantoribus. Lecta

Paſſione Celebrans, ſtans in cornu Epiſtolæ, convertit ſe ad Cantores, ùt in aliis Evangeliis, tenens jam Ramum dextrâ, & ſiniſtram pectori admotam, ac ſimul cum illo convertet ſe Diaconus à ſiniſtris ejus, & Subdiaconus à ſiniſtris Diaconi, cum Ramis ſuis in dextra; Diaconus quidem in ſecundo gradu, Subdiaconus autem in infimo, ſicque ſtabunt usque ad verba: Emiſit ſpiritum. *Et Abbas (aut Epiſcopus in Eccl. Cathedr.) omnésque alii ſtantes detectis capitibus palmas tenent usque ad finem Paſſionis & Evangelii; dum verò cantantur ipſa verba:* JEſus autem clamans, &c. *Abbas (aut Epiſcopus) in ſua ſede genuflectit versùs Altare, & Celebrans rectè deſcendit ad ſecundum gradum ante medium Altaris, ubi genuflexus inter Diaconum & Subdiaconum, ſimul cum illis inclinat profundè corpus, vel (pro conſuetudine loci) parte anteriori planetæ priùs ante ſe extenſa, proſternit ſe ad terram capite ſuper manus reclinato; cum eo quoque, ac eodem ritu genuflectent, vel ſe proſternent verſùs Altare, alii omnes in locis ſuis, exceptis Cantoribus Paſſionis, qui versùs libros ſuos proſternuntur; iis autem ſurgentibus, omnes alii ſurgunt, nullo alio ſigno expectato. Fiet autem ipſa proſtratio per ſpatium Orationis Dominicæ* Pater noſter. *ex Cærem. Papæ l. 2. c. 39. vel durante:* Adoremus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum; qui paſſus es pro nobis, Domine miſerere nobis. *Deinde qui Evangeliſtam agit, proſequitur Paſſionem, qua finita usque ad eam partem excluſivè, quæ in tono Evangelii cantatur, & factis debitis reverentiis Altari & Abbati (aut Epiſcopo) ſi adſit, geſtantes libros ante pectus, revertuntur ad Sacriſtiam eo ordine, quo venerant.*

Cùm ſurrexit Celebrans à proſtratione, transfertur liber à Subdiacono ad cornu Evangelii, & ipſe, Ramo depoſito in medio Altaris, dicit ibidem junctis manibus: Munda cor meum. *Et reſumpto Ramo Evangelium legit ſubmiſſâ voce in cornu Evangelii, aſſiſtentibus ſibi Diacono & Subdiacono ut aliàs; neque ſignabit librum, neque ſeipſum in principio, & ea parte lecta, Subdiaconus reſpondet* Laus tibi Chriſte. *& Celebrans (ſi Cantores nondum abſolverint Paſſionem) redibit ad cornu Epiſtolæ, ubi vertet ſe cum Miniſtris ad ipſos, ut ſuprà: aliàs ſtabit in medio. Diaconus autem Evangelii ſub finem Paſſionis deponit planetam plicatam, induit Stolam latiorem, librúmque defert ad Altare; ibi genuflexus dicit:* Munda cor meum. *Et mox unà cum Cæremoniario & Thuriferario accedit ad Abbatem (aut Epiſcopum) qui imponit incenſum, & dat benedictionem eidem Diacono, qui cæteris de more peractis, libróque incenſato, cantat Evangelium:* Alterâ verò die &c. *non ſignans librum, nec ſe ipſum, nec palmam in manu tenens; quo abſoluto Subdiaconus defert librum deoſculandum Abbati (aut Epiſcopo) comitante Cæremoniario, Diacono interim Celebrantem incenſante. Ad Elevationem ſolus Abbas (aut Epiſcopus) tenet palmam. Et reliqua fiunt ùt in aliis Miſſis; præterquam quòd ab Accolytbis ad Evangelium accedentibus candelabra non deferantur, licèt ſub ipſo Paſſionis cantu luminaria non extinguantur, neque in Altari, neque etiam in Credentia. Hæc eadem omnia obſervantur in reliquis tribus Paſſionibus, excepto quòd Feria VI. in Paraſceve color ſit niger: & oſculum manûs omittatur. Cæterùm verò ſi quædam ſint alia hìc omiſſa, quæ ad propoſitum ſervire queant, tum fuſiùs ea tradita in ipſismet propriis cuilibet Cæremonialibus legi & obſervari poſſunt.*

IN COLLEGIATIS ECCLESIIS, *ubi tot Diaconi haberi non poſſunt, cantabitur Paſſio per Celebrantem ipſum, ac Diaconum & Subdiaconum ordine tamen Diaconatûs ſaltem initiatum: quorum primus Chriſti, ſecundus Evangeliſtæ, tertius Turbarum perſonam ſuſtinebit. Itaque cùm tempus eſt canendi Paſſionem, tam ipſe Celebrans, quàm Subdiaconus & Diaconus depoſitis caſula & planetis, atque cum ſtolis ſuj .. humerum ſiniſtrum deſcendunt ad Analogia ſeu pulpita, cantaturi Paſſionem ordine, quo ſuprà: vel certè ipſo Celebrante ſolo apud Altare manente, & in cornu Evangelii ex proprio libro verba Chriſti canente. Cúmque perventum fuerit ad Evangelium, Celebrans & Subdiaconus reſumunt ſua convenientia paramenta, & Diaconus reliqua peragit, ut ſuprà.*

IN MINORIBUS *tandem ſeu etiam ruralibus Eccleſiis; ubi denique contingeret, tam exiguum pro tempore congregatum eſſe perſonarum numerum, ut neque Diaconus & Subdiaconus Celebranti, Miſſam canenti, adhiberi poſſit, nihilominùs tamen ipſum Celebrantem, omiſſis aliis ſolemnitatibus, retentâ caſulâ totam Paſſionem in cornu Evangelii canere oportebit.*

IN